

praedicti more Romanae curiae bullatam, in cordulis canapinis pendentem, sanam et integram, non rasam, non abolitam, nec in aliqua sui parte suspectam, sed omni prorsus vitio et suspicione carentem exhibuit et in medium produxit, requires me notarium publicum subscriptum, ut eandem transsumerem atque in publici instrumenti formam redigerem ac eius sigilli appensione communirem, ut eidem ubique locorum fides plenaria posset adhiberi. Cuius quidem bullae tenor per omnia de verbo ad verbum sequitur et est talis:

Innocentius episcopus — No. 775 — pontificatus nostri anno primo.

Acta sunt haec anno — praesentibus honorabilibus et discretis viris domino Wilhelmo Bruxs presbytero, Nicolao Grymmis clerico et Nicolao camerario praedicti reverendi in Christo patris et domini Thimonis episcopi laico, Misnensis Merseburgensis et Pragensis diocesium, testibus ad praemissa vocatis rogatis et requisitis.

Et ego Nicolaus Schonebier de Bisschofswerde clericus Misnensis diocesis publicus imperiali auctoritate notarius — praesens transsumptum ex originali bulla fideliter receptum — confeci — signoque nomine et cognomine meis solitis et consuetis una cum appensione sigilli praedicti reverendi patris de ipsius mandato consignavi, requisitus in fidem et testimonium omnium et singulorum praemissorum.

Signum notarii.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden. Das Siegel ist abhanden gekommen.

No. 782. 1405. 9. Juni.

*P. Innocentius VII. befiehlt auf Ansuchen des Markgrafen Wilhelm, dass der vom B. Thimo nach Stolpen verlegte geistliche Gerichtshof ferner seinen Sitz in Meissen habe.*

Innocentius episcopus — ad perpetuam rei memoriam. In specula sedis apostolicae etc. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilecti filii nobilis viri Wilhelmi marchionis Misnensis petitio continebat, quod licet tam clerici quam etiam laici in suo temporali dominio degentes episcopo Misnensi pro tempore existenti in spiritualibus subditi ut obedientiae filii hactenus fuerint et sint omni poscenti coram eodem episcopo seu eius officialibus aut vicariis in spiritualibus pro tempore existentibus, dummodo ad loca ipsis tuta et congruentia vocarentur, parati de iustitia respondere, tamen venerabilis frater noster Thimo episcopus Misnensis suae iurisdictionis ecclesiasticae tribunal sive consistorium extra civitatem Misnensem, locum utique notabilem et insigne, in quodam castro Stolpen et eius suburbio Jockerim nuncupatis Misnensis diocesis et in confinibus regni Bohemiae ac territorii dicti marchionis extra communem hominum transitum situatis, ac huiusmodi clericis et laicis in dicto dominio ut praefertur degentibus nimium remotis et diversis de causis minus tutis collocavit et tenuit, prout tenet de praesenti eosdem clericos et laicos ad castrum et suburbium praedicta quasi in deserto posita, ubi etiam copia iuris peritorum non habetur, ad iudicium evocando, unde contingit quod huiusmodi ad iudicium evocati aliquotiens in eundo seu redeundo captivantur et spoliantur et aliis diversis incommodis et dispendiis afficiuntur, et nonnunquam ob carentiam et defectum huiusmodi peritorum per episcopum